



**Disputatio Philosophica, De metallo et lapide, ex tertio et  
quarto libro meteororum Aristotelis, : in catholica et celebri  
Ingolstadiensi academia, anno Christi M.D.LXXXVIII. die Iulij  
proposita.**

<https://hdl.handle.net/1874/427111>

*Disputatio Philosophica,*  
**DE METALLO ET  
LAPIDE, EX TERTIO ET QVAR-  
TO LIBRO METEORORVM**  
ARISTOTELIS:

*IN CATHOLICA ET CELE-  
BRI INGOLSTADIENSIA ACA-  
DEMIA, ANNO CHRISTI M.D.LXXXVIII.  
die Iulij proposita.*

PRÆSIDE  
BALTHASARO HAGELIO, SO-  
CIETATIS IESV, PHILOSO-  
PHIÆ PROFESSORE:

RESPONDENTE  
PRO SVPREMA IN PHILO-  
SOPHIA LAUREA, ANDREA de LVCHIS,  
NEAPOLITANO AVSTRIACO,  
liberalium artium ac Philosophie  
BACCALAVREO.



INGOLSTADII,  
Ex Officina Typographica Davidis Sartorij.

## AD LECTOREM, DE ETYMO METALLORVM.

VÆR VNT auctores quo tandem à nomine nomen,  
Sine à qua stirpem stirpe Metalla trahant.  
Hi à Græco dicunt descendere fonte μεταλλό;  
Ast aly quasi sint dicta μετ' ἀλλα volunt.  
Rectè utriq;. Metalla etenim quemcunq; μεταλλά;  
Sub terra cùm sint abdita, voce iubent.  
Poscis nancisci & cognosse Metalla: μετάλλα.  
Ni facis, haud paries illa Metalla tibi.  
Rectè etiam dictum est, quasi dicta Metalla μετ' ἀλλα;  
Ecce Metalla tibi namq; μετ' ἀλλα damus.  
Ecquenam illa μετ' ἀλλα? rogas? Meteora loquor. Num  
Vidisti? posthac ecce Metalla. Fode,  
Sed ratione. Ligo, pala ferrea, machina quenam  
Non ex ingenio ducta, sit, oro, procul.  
Hic animi vires, non corporis exere, quære  
Non manibus, sed vi mentis & inuenies.  
Linque Poli Meteora, Soli nunc cerne Metalla,  
Non minùs infera te quàm supera illa iuuent.  
Cùm non sit miranda minùs rerum alma creatrix  
In terræ gremio, quàm in regione Poli.

REVERENDISSIMO  
IN CHRISTO PATRI AC DOMI-  
NO, D. MARTINO EPISCOPO NEAPOLEOS  
Austriæ, &c. eiusdemq; ciuitatis SENATVI PRUDENTIS-  
SIMO, ANDREAS de LVCHIS S. D.



VM INDVSTRIAM ET SOLER-  
tiam humanæ mentis attentius considero,  
Reuerend. Antistites, vosque viri prudentia  
spectatissimi, verissimum esse video dictum  
illud Poëtæ Siculi: οφόρη χειρὶ ἡθεωπος.  
Meritò enim res mira & ex intima quasi Sa-  
pientia Dei profecta censemur homo, cui, quid quæso, tam fir-  
mū quod non cedat? quid tātis obseptum à natura difficulta-  
tibus, ad quod studio & labore non penetreret? Nil mortalibus  
arduum est, ait Horatius. Quòd verè ab eo dictum, vel ex solis  
metallis, de quibus nobis instituta disputatio, liquet. Ea enim,  
quamvis rerum parens sub terram partim abdiderit, partim  
Oceano dissociabili ab orbe nostro remouerit: homines tamē  
nihil hisce impedimentis absterriti, ipsa terræ viscera, multò  
diligentius & audius, quam vultur ille iecur Titij rimantur, &  
in sede Manium (vt plinius eleganter scripsit) opes querunt,  
easque regiones nauibus adeunt, ad quas veteres fortassis,  
ne cogitatione quidem vñquam peruererunt. Miramur Xer-  
xen, Atho montem perfodisse. An non his temporibus in-  
gentes montes ab illis, qui venas auri argentiisque sequuntur,  
excavatos videmus? & tam profundè quidē, vt fodiendo pro-  
pemodum ad inferos progressi sint; ita vt Pluto, si veræ essent  
fabulae, iure vereri queat, quod eum metuisse, cùm Neptunus  
magno motu terram quateret, Homerus canit, ne videlicet:

ομίαν τὰ θυητῶσι, τὰ διθανάτοις φανέν  
ομερσαλέ εἰνεντα, τά τε συγένοις φεότηρε.

Caterūm, si quis scire velit, ecquenām caussa homines ad tan-  
tos labores suscipiendos impellat, aliam profectò non inueni-  
et, quam amorem, aut diuitiarum, vt cùm aurū, argentum, æs,  
electrum; aut deliciarū, vt cùm gemmas & pigmenta; aut te-  
meritatis, vt cùm ferrum querunt. Inter hæc, minimū, inquit

*Epistola dedicatoria.*

Plinius, remediorum gratia scrutantur, quam tamen potissimum causam & curā fuisse oportebat. Iam verò illi, qui in seculis metallicis vitam agunt, valetudinis & vita prodigi sint necesse est; quā ob tetros, quos terra expirat odores hebet, languent, & pallēt? verius eos simulachra, modis pallentia miris quā homines appellaueris. Quoties inopino casu miserè op̄ primuntur, aut ita montiū cauernis includuntur, vt exitus ad hoc amabile cœli lumē euadendi nullus omnino pateat? Porro cū homines in quærendis & eruēdis metallis tot molestias subeant, & quissimū est, vt rerum naturaliū studiosus in metallorū indagatione aliquid quoq; studij & operę ponat, cū, si nō maiora, certè non minora quām alię res, natura mysteria cōtineant. Quærunt illi rem, hic rei genium, vt sic dicā, indolem, & affectiones. Quærunt illi vt possideant, hic vt sciat. Quærut illi non sine iaetura ferè semper sanitatis, crebro etiam vita, quærit hic magna animi voluptate & dulcedine; & quāuis vires attereret, pulchrius tamē & ad nomen decusq; splendidius arbitraretur, impallescere, immo & immori libris, quā auri argentiq; fodinis. Illud semper est in diciū liberalis & ingenui ingenij, hoc nonnunquam illiberalis, auari & sordidi. Illud est rationis opus, hoc manuū: tāto humilius & abiectius, quanto mentis actiones functionibus corporis sunt præstantiores. Quamobrem cūm hic modus, ratione metalla inuestigandi semper sit tutior & laudabilior, placuit & mihi eum sequi, metallorumq; ortum, naturam & proprietatem thesibus explicatam, in publicam disputationē, sub præsidio R. P. BALTHASARI HAGELII Præceptoris mei plurimū obseruandi, propōnere. Vobis verò, clarissimi viri, hoc Philosophicū munus dedicare volui, cūm ob vestra in me beneficia, tūm alias ob causas, quas recensere nō est breuis epistolę, sed longę orationis. Spero autem opportuniorem occasionē vestras laudes laudandi & prædicandi temporis progressionē mihi oblatum iri. Interea accipite hanc disputationem quasi alterius doni obſidem, & veluti sponsoriam tabellam. Valete. Ingolstadij, in vigilia S. Ioannis Baptiste, Anno Christi cī. I. lxxxviii.

DE ME-

DE METALLO ET  
LAPIDE, EX TERTIO ET QVAR-  
TO LIBRO METEORORVM ARI-  
STOTELIS.

**E**X MIXTIS perfectis alia viuunt, aliavita ca-  
rent. Viuunt stirpes, animalia: vita destituta  
sunt lapides & metalla. Ut autem quibus vita  
est, præstant iis, quæ vita prædicta non sunt; ev-  
ocati yæc tunc luxus nœttrov, & dñiatov: ita  
etiam in quibus anima non est, est tamen pro-  
pter perfectam admixtionem forma substantialis, nobiliora sunt  
iis quibus nec perfecta mixtio, nec substantialis forma diuersa est  
ab iis, ex quibus congesta sunt. Postquam ergo disputatione supe-  
riori abundè satis de METEORIS tanquam de mixtis imper-  
fectis actum est, ordo postulare videtur, ut de metallo & lapide  
disputationem proponamus. Sunt etenim mixta perfecta, & in-  
ter ea quæ vitarent, præstantiora. Ne autem in tantarerum  
amplitudine & copia modum disputationis excedamus, modum  
hunc obseruabimus. Primo; de Metallo & Lapide simul dis-  
seremus. Secundo; de Metallo. Tertio; de Lapis. Tota præ-  
re*z* disputatione in natura communi istarum rerum explicando  
versabitur, quidquid autem ad singulas in specie attinebit, fere  
prætermittet. Tum quia Aristoteles de ipsis omnino nihil scripsit.  
Tum quia res tot ac tanta nec possunt nec debent tam breui di-  
putatione concludi.

DE METALLO ET LA-  
PIDE SIMVL.



VORVNDAM est opinio, nec Metalla nec Lapidæ cres-  
ce, sed vt à DEO Opt. Max. initiò Mundi creata fuerunt,  
ita nunc tantum inueniri: quin nec in Natura vim vi-  
lam esse, per quam vt cæteræ res quælibet, ita lapidum &

metallorum species perpetuari queant. Verum opinionem hanc falsam esse, experientia & ratione demonstrare non est difficultate. Experientia quidem; quae enim aetas si non crescere dentu[m] lapidem augescere nullum vnuquam vidit? Et Metalla semel effusa crescere & recrescere indicio ferrum est, quod Strabone ceteris tam Graecis quam Latinæ historiae auctorebus, in Iluæ fodiinis certis annorum interuallis crescere nemo ferè non scit.

2. RATIONE verò: si namq[ue] in aëre & loco non suo interdum in terra tanquam in loco suo progenit, ecquis dubitet hæc ab eadem quandoq[ue] gigni omnino dicendum est; quandoquidem ex aëre sape & Patrum & nostra memoria deciderunt. Ut enim Auicennam & Plutarchum prætermittamus, qui omnis generis metalla in nubibus gigni, & cum coruscet decidere prodiderunt, Augustus Niphus insignis Philosophus scribit, Anno Christi 1511. in Italia postquam disparuisset igneus ille pauo, tres lapides è cœlo decidisse, quorum unus 160. alter 60. tertius deniq[ue] 20. libras pondere suo æquarit: & Iulius Scaliger scriptum reliquit, in Taurinis longè latèq[ue] plurimo ferro pluisse. Conradus autem Gesnerus, inter alios qui ex aëre sape lapi sunt lapidem vnum à fulmine projectū ait Torgæ Año 1561. die 17. Maij; alterum autem è cœlo delapsum Anno Christi, 1462. Ensis hemij pondere 300. librarum, in templo suspensum adhuc videri. Quin adeò hoc persussum ferè fuit omnibus, ut fulmen nihil aliud vulgo crederetur esse quam lapis ex nube in terras vi maxima emissus.
3. NE Q[UE] satis est dicere, hæc aut miraculo quadam fieri, aut eos tantum decidere qui tempestatis violentia ex terris & montibus, in altum sublati fuerint. Ecquis enim miraculum factum esse existimet quoties fulmen accidit, aut certè cum fulmine lapis in terras missus est? Nec à ratione aut natura alienum est, posse exhalationes & vapores interdum in nube vt in terra, admisceri atq[ue] concrescere, & concretione quadam insolubili ita durari, vt in lapidem aut metallum vertantur. Quin hoc fieri omnino necesse est, nisi vel ex cœlo decidisse cum Anaxagora & Philippo Paracelso putemus, aut lapidem fieri non posse nisi in terræ visceribus existimemus: quo-  
rum illud vanum & ridiculum est, hoc autem falsissimum. Quandoquidem & in animalis corpore sape lapides fiunt, & in aëre ranas, pisces, & alia id genus imperfecta animalia, ex materia præparata procreata esse, & numerus in quo interdum cadunt, & naturæ conditio dicere cogit. Non est igitur credibile, omnes qui decidunt ex aëre lapides, turbine in altum subductos fuisse.
4. HAC igitur opinione rejecta, ponendum nobis est cum omnibus

*de Metallo & Lapiде simul.*

nibus Philosophis, metalla & lapides generari, quemadmodum attem, vbi, & quibus de causis id fiat, explicandum est. Quod quidem abunde factum fuerit, si explicauerimus; Ex quanam materia sicut: Num forma aliqua substantiali constent, & cuiusmodi: A quo efficiantur & producantur: Et denique in quo loco gignantur, & quomodo.

*DE MATERIA.*

**A**CQVOD AD MATERIAM quidem attinet, certum esse debet, Metallorum Substatiā esse aqueā, Lapidū autem terream. Con- 5.  
crescunt enim frigore, & præterea igne liquefcunt metalla, lapides non liquefcunt: Liquidum autem esse, solius aquæ inter Elementa proprium est. Sunt igitur metalla aquæ, non sunt autem lapides. Præterea lapidum substantia non est ignea: quid enim dissimilius igni? Nec est aërea, cum in aqua mergantur. Sunt igitur lapides prædominio terrei. Quanquā autem hoc ita sit, maxima tamē inter auctores controvērsia est, quomodo aqua Metalli, & terra Lapidis materia sit: an vt terra & aqua? an vt vapor & halitus? an vt succus aut lutum? an vt sulphur & *ὑδρογενός*, hoc est, argentum viuum?

**Q**VID vapor & halitus sit, & quomodo à terra & aqua differat, 6.  
à nobis satis superqüe explicatum est in disputatione de Meteoris  
parte 1. Succus sola crassitie & mixtione ab aqua distinguitur: est e-  
nim aqua quæ terram sorbuit vel corroxit tetigitque metallum, quo-  
dammodo cōcōcta. Lutum, est terra quæ permaduit aqua. Sulphur,  
est pinguitudo quædam terræ, quam vis caloris ex ipsa expressit.  
Argentum viuum, est aqua terrea cum multo aere non congelata.

**H**IS positis, multi sunt qui metalla & lapides ex aqua & terra, 7.  
multi qui ex luto aut succo confiant. Alchymistæ vero, nouum &  
maxime superstitionis genus hominum, metallorum omnium  
principia pertinacissimè contendunt esse sulphur & *ὑδρογενός* siue  
argentum viuum.

**A**RISTOTELES sub finem libri 3. Meteororum, lapidis materiam 8.  
scripsit esse exhalationem calidam & siccām. Metalli, vaporem hu-  
midum. Quod non ita accipiendum est (vt ipsem lib. 4. Mete. se-  
ipsum explicat) quasi lapidem ex puro halitu, & metallum ex solo  
vapore constare dixerit (semper enim alter alteri necessariò perni-  
stus est) sed quod in lapide exhalatio supereret, in metallis vapor a-  
queus. Atq; hanc sententiam tanquam veriorem nos hic amplecti-  
mur. Tum quia est hominum doctissimorum, nempe Platonis, Ari-  
stotelis, Theophrasti, Peripateticorum & Academicorum pen-  
omnium, Tum quia hac sententia posita, facillimè & optimè ratio  
reddi

reddi potest eorum omnium quæ in ipsis cernimus: hac autem non posita ,ratio nulla apta afferri potest.

**9.** Non leue etiam argumentum est, quod metalla igne non absu-mi tam citò , licet fundi & liquari videamus. Nam cùm vapore a-quæ nulla, exhalatione verò terra nulla minor aut tenuior sit, potest vapor cum halitu ita misceri , vt pars quælibet vnius etiam minimā alterius comprehendat. Ex quo fit, vt præ exhalatione vaporis pars nulla in fumum resolui possit, & præ vapore pars quælibet exhalationis fluat. Itaq; cùm metallum in ignem coniectum fuerit, non vertetur tam citò in fumum aut cineres , sed liquatum totum fluet. Talis autem mixtio aliarum rerum esse posse nulla videtur. Quare vapor & exhalatio materia proxima erit; lapidum quidem, si exhalatio prædominetur ; metallorum verò, si vapor abundet.

**10.** Ex quo facilè iudicari potest de opinionibus suprà positis. Nam ex terra & aqua conflari nec lapides nec metalla queunt. Non me-talla , quia igne non tam liqueferent, quam in fumum & cineres abirent. Non lapides , quia par est mixtionis ratio. Quanquam ne-gandū absolutè non est, ex terra & aqua constare. Componuntur si-quidem ex vapore & exhalatione , quorum substantiam ab aqua & terra diuersam non esse iam alibi ostensum est. Tantum verum non est, ante ex terra & aqua fieri, quam in vaporem & exhalatio-nem soluantur.

**11.** Q uod ex luto aut succo orta non sint, ex dictis etiam satis li-quere potest. Quod si verum est, ferrum & lapides in aëre & nubi-bus concrescere , vt permulti volunt , & nos suprà thesi 2 & 3 fieri posse, immò necesse esse ostendimus, quid certius dici queat? Taceo filamenta & quasi capillos cum metallis sàpē repertos esse; quæ nemo est, qui non potius ex vapore & exhalatione , quam ex succo aut luto intra faxa in venis concreuisse existimauerit.

**12.** R es ad Chemicos rediit: Hi quod ipsi sese ex sulphure & hy-drargyro metalla fabricari putent, ex iisdem naturam confiare non sine multo fastidio contendunt. De illorum professione posteà. Nunc quod metalla ex sulphure & argento viuo non siant, ita pro-bandum est. Si ita se res habet, vt volunt Chemici, cur sulphur & argentum viuum in venis metallicis omnibus, aut plerisq; aut me-talla in puteis ipsorum non reperiuntur? Cur proprietates sulphuris & argenti viui metalla non habent? quid enim sulphure ad flammā concipiendam aptius est? at metalla non sunt φλογισά. Nullum ar-gentum viuum concrescit frigore , vt experientia & Aristoteles in 4. Mete. c. 8. auctor est: Metallum autem nullum est quod frigus non densarit. Qui igitur ex hydrargyro factum sit?

**13.** I TA ergò intelligitur , quæ sit, item quæ esse nequeat proxima metallo-

metallorum & lapidum materia. Quomodo autem ex vapore aut halitu composita existant, nihil adhuc distinctè dictum est. Potest verò breuiter dici; lapides & metalla ita mixta existere, vt non actu sed virtute halitum & vaporem in se contineant. Non sunt enim mixta imperfecta, vt ros & pruina; quis enim crederet? nec elementa actu formali in mixtis perfectis manent. Qui enim res eadem numero ex duabus substantiis specie perfecta differentibus nascatur? ergo etiam vapor & halitus in ipsis non actu sed virtute tantum continentur.

## DE FORMA.

**Q**VIDAM, vt aliis in mixtis, ita etiam in metallo & lapide præter commixtionem elementorum nullam omnino formam substantialē esse contendunt. Alij autem formam quidem in mixtis aliquam ponunt, sed negant illam esse diuersam à victoris & dominantis elementi. In qua sententia sunt quidam qui cum Auerroe faciunt, & Cardanus; quod mirum est, cùm lapides & metalla viuere dicat, non autem elementa, vt proinde eadem forma sit viuentis & non viuentis.

**S**VNT tertio, qui negant quidem in lapide & metallo formas elementorum esse, ponunt autem in illis formas, quibus non solum ab elementis, sed etiam inter se & ab omnibus rebus aliis species differant. Quam sententiam, communia iam fere omnium iudicio comprobata, nos quoque præ ceteris veriorem existimamus. Nam ubi proprietates & effectus diuersi sunt, ibi sunt etiam formæ diuersæ. Sed in lapidibus & metallis diuersæ sunt proprietates & effectus, quam sunt in elementis rebusq; aliis, vt manifestissimum est in virtutibus admirabilibus lapidum, quæ, vt postea ostendendum est, elementorum formis, aut primarum qualitatum contemplationi competere nullo modo possunt.

**Q**UAM multas qualitates inter se diuersas & profligas contrarias in mixtis cernimus? haec ab unius elementi forma promanare non possunt. Nihil enim in ipso elemento primo simile cernitur. Nec possunt conseruari in mixtis, quamdiu videmus, sine forma: at non conseruantur vel ab omnium elementorum formis simul, vel ab unius tantum elementi forma: quippe cum actu formalis non maneant, vt iam thesi 13. ostensum est. Reliquum igitur est, vt sit forma aliqua distincta, qua in locum formarum elementarium successerit, à qua ad temperiem redactæ tot qualitates inter se pugnantes tamdiu conseruari possint.

**V**TRVM autem hæc forma (vnicam enim in unico esse putamus)

mus) sit etiam anima, cōtrouersia maxima est. Democritus & quidā alij ex veteribus, vt refert Albertus Magnus, existimabat, tūm omnia mixta ex anima componi, tūm consequenter speciatim lapides & metalla. Quam opinionem iamdiu intermortuam, ab inferis, vt multas alias iam penitus obsoletas, reuocauit Cardanus, reuocatamq; pluribus argumentis confirmauit.

**I 8.** IN contraria sententia sunt cæteri auctores omnes tūm veteres tūm recentiores. Quā vt communior est, ita nobis etiam à vero minūs abesse videtur. Dicimus itaque in metallis & lapidibus nec animam nec vitā inesse. Nobiscum facit Aristoteles in 1. mag. moral. cap. 5. Ita enim loquitur, τὸς λίθος δέ μη ἀδυνάτος τρέφεται δύτας. Ex eoq; concludit, nutritionem non nisi animatis compete-re, & solam animam illius caussam esse.

**I 9.** N E C lapides nec metalla propriè nutriuntur. Quod enim nutritur, alim entum intro suscipit, introq; susceptum alterat & immutat, vt in locum partium substantiæ deperditarum succedat. Neque hoc satis est. Requiritur præterea, vt quod nutritione reparatur, pars sit quā non est vnius per se perfectum, sed quā cum priore composito vnum per se perfectum constituit. Deniq; requiritur, vt omnes partes illius vnius per se præexistentis nutriantur, hoc est, omnibus aliquid adiiciatur. Iam hæc in lapides & metalla minimè competunt: igitur propriè non nutriuntur, sed per additamenta tā-tūm crescunt, quatenus extrinsecus pars parti apponitur. Si quis autem idcirco viuere putet, nā ille non solum lapides & metalla, sed barbam etiam, pilos, vngues, & his multò plura viuere cogetur.

**I 0.** E T lapides excisi aut nullo modo reparantur, aut si reparantur iterum, id eo modo fieri, quo ramusculi plantarum aut cancerorum chelæ, lacertarumq; caudæ restituuntur semel abscessæ, non est credibile. Quandoquidem tantū eatenus reparantur lapides, quatenus rursus apposito vapore & exhalatione adaugentur lapticidinæ à quibus priores excisi fuerunt.

**I 1.** A T VENAS HABENT, inquit Cardanus, & poros intus. Esto (non est enim verum) sed non sunt eo ministerio, quo in viuētibus. Neq; enim per illa alimentum in interna recipitur, neq; inde per eadem in omnes partes transmissum vi quadam insita in naturam ipsarum transit. Hoc est officium venarum. At tractus, lineaæ, vestigia, interualla, aut quoconque tandem nomine appellare placet id, quod in metallo & lapide venis simile aliquando cernitur, ad hunc finem instituta non sunt, sed cùm per additamēta grandescere certuni sit, hinc est quod in aliquibus partes certis interuallis, tāquam venulis quibusdam dissitæ & distinctæ videantur.

P O R I per se nec in lapide nec in metallo sunt, quia propriè non nutriuntur, nec indigent expulsione materia inutilis & superflua. Hac autem sola de causa pori in vita & anima præditis necessarij sunt. Per accidens tamen poros, hoc est, foramina quædam intercepta inter alias partes substantiæ in non viuentibus esse nihil impedit: quin immò sàpè necesse est. Nam agens plerumq; non est tam efficax, vt possit actione sua æquè omnes partes materiae disponere, quantum satis est ad formam mixti: hoc aut cùm fit, necessarium omnino est hinc inde particulas quasdam materiae aliis interiectas relinqui absque forma mixti: ex consequenti etiam necesse est, foramina quædam relinqui, in quibus istiusmodi materiae partes relictæ, vel si illæ expellantur, aér aut aliquid simile recipiatur. Cæterū ex his siue poris siue foraminibus concludi minimè potest, in lapide aut metallo vitam esse: quia non sunt in illis per se. Sic enim essent in omnibus. Sunt ergo in illis, vt diximus, per accidens, ratione agentis, quod accidit esse debilius vel fortius in materia disponenda. At qui ex iis quæ per accidens rebus conueniunt, minimè colligere licet ea, quæ illis per se inesse debent: qualis est anima & vita metalli & lapidis, ex sententia quidem aduersariorum.

E T I A M radices, cortices, rami, frondes, & si quæ sunt iis similia, non sunt in ipsis vt in iis, quæ communis sensu & consensu viuere dicimus. Aut enim omnino non sunt, aut si sunt, non aliter in ipsis reperiuntur, quam figura & membra Cæsaris in marmore, in quo Cæsar's imago sculpta est. An tu igitur viuere credas? Certè sic vitam Cæsaris in mafmore, vitam hominum, aut draconum in nubibus, in quibus huiusmodi idola conspecta sunt, ponere necesse est.

N E Q Y E vllus lapis aut senio aut fame mortuus est. Qui enim moriatur, quod vitam nunquam hahuit? Ergo si lapis Herculeus vetustate vires trahendi amisit, non idcirco senuit. Amisit namque, quia ab aere vitiatus est. Quæ causa est, cur postquam extimæ partes trahere ferrum desierunt, adhuc in interioribus vis eadem incolumis residat, & ne omnino lœdatur in scobem ferri abdi soleat. Non igitur senuit, nec fame perii; aut dicam pomum, cùm ob vetustatem olere desit, senio mortuum, aut ignem quem cinis ab intuitu vindicauit, viuere.

P L V M B V M etiam, cùm mutatur in cerussam, non idcirco grauius factum est, quia vitam amisit, sed quia minus aëris & plus densitatis habet post illam conuersionem, quam antè. Neque viuorum omnia corpora post mortem grauiora sunt, quam erant in vita: neque quæ grauiora sunt, idcirco præcisè grauiora facta sunt, quia vitam amiserunt, sed potius quia spiritus vitales, qui erant leuiores,

expirarunt, & partes aliae quas calor vitalis leuiores effecerat, exhalato calore, ad grauitatem naturalem & fibi insitam redierunt.

## *DE EFFICIENTE.*

26. **E**FFICIENTS duplex est: alterum principale, alterum minùs principale & instrumentale. Principale illud est, cuius actione precipue vel totaliter tāquam primo principio producitur effectus. Instrumentale, est potentia vel accidens, quo medio efficiens principale effectum producit. Iam de vtroque efficiente maxima sunt inter auctores controvēsiae: quas nos hoc ordine explicabimus, vt priori loco de principali, posteriori de instrumentalī agamus.
27. **D**E principali igitur efficiente mineralium, maximè lapidum & metallorum, sententia Astrologorum est, illud esse stellas cœlorum, licet necdum inter se conterant. Quandoquidem alij omnium metallorū caussas dicunt esse stellas easdem, videlicet errantes; omnium autem lapidum & præcipue gemmarum inerrantes. Rursus alij diuersorum putant esse diuersas stellas, vt auri, e. g. Solem, argenti Lunam, Martem ferri, Saturnum plumbi, & sic de cæteris. Quæ persuasio cùm nulla ratione vel probabili nixa sit, per se ipsa concidit, & opus non est, vt hīc pluribus refutetur.
28. **Q**VIDA M alij volunt, ex materia propria lapides & metalla progigni per virtutem quandam ipsis insitam, quam ipsi appellant Mineralēm siue metallicam, non secūs atq; animalia fiunt ex semine per virtutē quandam ipsis insitam. Tantū hoc discrimen est, quod semen virtutē accipiat ab eo, cui similem effectum in specie producit, materia atitem habeat à loco in quo est, locus aut accipiat à cœlo.
29. **A**D VERSVM quos ita fortassis agere liccat. Virtus illa mineralis aut est substantia, aut est accidens: Sed non est substantia. Tum quia cùm materia non est in loco suo, in vaporem abit & corrumpitur. Tum quia nec virtus seminalis substantia est, cui virtus metallica est similis. Si autem est accidens, iam nō est efficiens principale, sed instrumentale. Omne siquidem accidens virtute aliquius substantiæ operatur. Hoc posito, cœlum erit caussa principalis, & hæc opinio non re, sed verbo tantum ab Astrologorum opinione dissidebit. Verū nec instrumentalis quidem caussa dici potest. Tametsi enim lapides aliqui sint, qui effectus adeò admirabiles edunt, vt non videātur esse producti nisi à virtute quadam occulta: tamen contrà quamplurimi sunt, quorum talis effectus nullus est, & in iis quorum effectus propè miraculum sunt, etiam multi sunt alij, qui in aliam caussam multò aptiūs referuntur. Non est igitur virtus mineralis, per quam tanquam per instrumentum cœlum ipsum mineralia producit.

PRAETEREA si virtus mineralis est virtus formativa mineralium, nullū erit omnino minerale, quod ipsa non formauerit: Est enim efficiens id, sine quo effectus existere non potest. Lapidés autem veri generantur in animalibus, ut postea ostendemus: & multi sunt eiusdem naturae earundemque virium in locis diuersissimis, puta in Germania & India. Quid enim filex aut tophus in India natus, differat à silice aut topho nostro? Atqui isti lapides non generantur per virtutem Mineralem: cur enim haec virtus magis sit in capite, quam in renibus? Cur magis in vesica, quam hepate? item cur magis sit in animali, quam in terra, aere, vel aqua in qua degit animal? omnia enim haec eidem cœli parti subiecta sunt, ut si qua virtus deriuatur inde, non magis possit in ipsum animal, quam in terram, aut magis in vnam quam in alteram partem transfundи. Neque credibile est, in India non esse maiorem dispositionem terræ vel cœli actionem, quam hic apud nos. Declarat id clementia cœli paulo maior, prouentus gemmarum, auri, ingeniorum, aliorumque effectuum multo nobiliorum, quam in terra illi opposita conspiciuntur. Maiorem itaque illic etiam virtutem lapidificam & metallicam esse necesse est. Et tamen silices, saxa, & tophi effectibus & virtute nostris non dissimiles, illic etiam copiosè proveniunt. Cur non mutantur in gemmas vel aurum?

30.

SUNT alij qui cœlum ut caussam particularem & principalem metalla omnia & lapides architectari putant. Contrà verò alij cœlum nec vniuersalem nec particularem caussam esse statuunt, sed tantum instrumentalem, particularem autem & principalem caussam dicunt esse INTELLIGENTIAS cœlum mouentes, vel ipsum DEVVM Opt. Max. Cæterum haec opinio facile relictur. Ut enim a posteriori incipiamus, ad DEVVM non est recurrendum tanquam ad caussam particularem alicuius rei in naturalibus, cum suppetunt aliae caussæ: sed hic suppetunt aliae caussæ; neque enim metalla aut lapides tam præstantes effectus sunt, ut non possint habere causam particularem nisi DEVVM Opt. Max. ergo non recte dicitur DEVVM Opt. Max. esse caussam particularem.

31.

NEQUE INTELLIGENTIAE talis caussa dici possunt. Nam INTELLIGENTIAE immediatè facultatem nullius omnino rei naturalis producendæ habent, sed tantum habent virtutem applicandi actiua passiuis, hoc est, virtutem mouendi qua possunt accommodate ad rem propositam efficiendam caussas naturales inter se coniungere.

32.

SUNT etenim formæ naturales duplices: aliae educuntur ex potentia materiæ, alia non educuntur; neutras producunt INTELLIGENTIAE. Non primas; quia illæ tantum creantur; creandæ autem po-

33.

testas ad solum creatorem pertinet, hoc est, ad D E V M Opt. Max & non ad creaturam. Non secundas; nam quemadmodum istiusmodi formæ omnes ad mundum hunc corruptibilem pertinent, non pertinēt INTELLIGENTIAE, ita etiam habet sufficientia principia per quæ ex materia produci queant. Quo posito nemo est, qui non supervacaneam virtutem producendi huiusmodi formas in INTELLIGENTIIS esse videat. Quod si ergo nec D E V S nec natura frustè quippiam facit, non potest INTELLIGENTIA esse causa particularis lapidum & metallorum.

**34.** QVOD autem cœlum mineralia non efficiat tanquam instrumentū DEI vel INTELLIGENTIAE, clarum est: nam instrumenta quibus sit aliquid, vt sunt mota ab altero, tantum concurrunt ad effectionem rei, non autem quatenus habent vim actiuan, qua sit effectus, qua per motum tantummodo applicetur, sed quatenus mouens habet vim actiuan, præter quam tamen requirit certas conditiones passiuas, vt duritiem, certam figuram, &c. sine quibus per vim actiuan mouentis talis effectus produci nequit: sed cœlum in producendis lapidibus & metallis ita se non habet ad D E V M vel ad INTELLIGENTIAS. Non ad D E V M, quia id sine ratione vlla & necessitate diceretur. Nō ad INTELLIGENTIAS quia nullam habent vim actiuan immediatè res alterandi & producendi, sed tantum mouendi localiter, vt thesi proximè præcedenti probauimus, ergo cœlum non producit mineralia vt instrumentum D E I, vel INTELLIGENTIAE.

**35.** RESTAT ergo vt cœlum producat mineralia vt causa particulares, sed neque hoc pacto causa dici potest. Tum quia nec Aristoteles cœlum inferiora aliter efficere vñquam docuit, quam vñcum causis secundis: qua de causa dixit 2. Phy. t. 26. Solem & hominem generare hominem. Similiter cæteri omnes auctores, alicuius nominis & eruditiois vno ore docent. Tantum Astrologi dissentient, absque vlla tamen ratione; vt suprà thesi 27. ostendimus. Tum quia vbi causæ particulares propriæ sunt, ibi cœlum causæ particularis non est, sed lapidum & metallorum causæ particulares propriæ sunt, vt iamiam demonstrabimus, ergo non sunt in cœlum tanquam in causam particularem referenda.

**36.** NOS ERGO de causa principali ita statuimus. Causa metallorum & lapidum sunt elementa, vel alia mixta mutuò agentia, & cœlum: Elementa quidem aut mixta particularis, cœlum autem vniuersalis. Nam illud censeri deber efficiens particolare alicuius mixti, cui debetur, siue tanquam cuius virtus concurrit ad productionem formæ mixti, illa complexio, quam forma talis mixti sequitur. Ex communī namque sententiā accidens non producit

cit substantiam nisi virtute substantiae. Sed elementis debetur, & vt elementorum virtus concurrit complexio istorum mixtorum, quæ immediatè fiunt ex elementis. Cernimus enim complexionem istorum esse tales, quæ vel in omnibus quoad omnes effectus, vel aliquando in aliquibus quoad aliquos saltem effectus, producatur ab elementis, vel etiam ab aliis mixtis mutuè agentibus. Rechè igitur concludimus complexionem illorum concurrere tanquam virtutem elementorum vel mixtorum. Concurrit enim tanquam virtus illius à quo natura sua potest effici. Cur igitur elementa vel mixta alia caussam esse negemus? Quòd si concurrat etiam cælum, & vno tempore magis quam altero, hoc tantum suggum erit quòd cælum requiratur ut caussa vniuersalis, & quòd iam dicta caussa particularis per se sine illo non sit sufficiens.

CONSTITUTA CAVSSA efficiente principali, iam de instrumentali agendum est. Principiò autem sciendum est caussam instrumentalem esse duplicem: aliam principalem: aliam minùs principalem. Principalis est qualitas aut facultas accidentalis, cuius est vis maxima & cui in productione effectus cætera inseruiunt. Minùs principalis est accidens, quo non viriut efficiens, nisi determinatum sit ad effectum intentum, ab altero, quod principale instrumentum diximus.

RVRVS instrumentum siue principale siue minùs principale diuidi potest & solet in externum, quod est accidens quoddam vel in ipso efficiente principio, vel in medio, per quod agit, positum. Et in internum, quod nihil est aliud, quam accidens in ipso paciente positum.

IAM de instrumentalis caussa lapidum & metallorum auctores non conteniunt, sed in varias admodum sententias distracti sunt. Alij enim putant solum calorem esse efficientem caussam. Alij dicunt esse calorem aliquando, aliquando esse frigus. Existimant enim metalla & lapides produci non sola actione caloris, aut sola actione frigoris, sed per actionem vtriusque simul, ita tamen ut actio caloris productionem inchoet, actio vero frigoris perficiat.

ALII his duabus caussis non contenti statuunt etiam in perisse caussam instrumentalem qualitatem aliquam occultam. Inducuntur autem ad hoc asserendum variis exemplis & experimentis multorum præcipue lapidum, qui tam admirabiles effectus habent, ut effici non nisi ab occulta aliqua caussa videantur. Tales sunt Magnes trahens ferrum, succinum paleas. Lapis item quem macula qua infectus erat, secundum motum Solis circumambiebat. Itemque alius, qui, ut scribitur, pro mutatione lunæ

37.

38.

39.

40.

ex cāruleo in candidum permutari solitus fuit. Similiter lapis ille, qui quamdiu appensus erat collo Ducis barbari, fluxum sanguinis fitit, quamuis ille iam vndeque concisus vulneribus mortuus iaceret, quoad usque à collo sublatus fuit.

**41.** Nōs verò breuiter ita iudicamus. Lapidē & metalla non fiunt nisi omnes qualitates primæ quatuor effectiū cōcurrant. Nam mixta perfecta ex omnib⁹ quatuor qualitatib⁹ primis cōstituuntur, lapides autem & metalla, sunt mixta perfecta, ergo ex quatuor primis qualitatib⁹ cōstituuntur. Cūm autem omnes quatuor qualitates primæ simpliciter sint actiū, & concurrant ad constitutio- nē lapidis & metalli, non possunt non concurrere effectiū.

**42.** INTE R qualitates primas nec humor nec siccitas princeps instrumentum esse solet aut potest. Licet enim humiditas & siccitas actiū qualitates sint, tamen comparatē cum frigore aut calore tam exilis earum actio est, vt in mixtione ferè materiæ potius locum habere videantur, quām agentis. Quæ cauſa est cur à Philosopho 2. de ortu & interitu t.8. & 4. lib. mete, statim initio, calor & frigus dictæ sint qualitates agentes, humor autem & siccitas qualitates patien- tes.

**43.** T A M E T S I verò sine calore & frigore nec lapis nec metallum effici queat, existimamus tamen non calorem, sed solum frigus esse princeps instrumentum. Quod sine calore & frigore effici neque- ant ex omnium sententia diximus. Et ratio est, quia prius materiæ debent commisceri & concoqui, postea condensari & coagulari, illud autem caloris est, hoc frigoris. Quod autem à solo frigore tanquam ab instrumento principe constituantur, & perfectionem ab solutionemquæ suam omnem accipiāt, secus atque nonnulli cen- sent, dictum est, sed tamen rem ita se habere non est difficile docere.

**44.** N A M frigore potissimum constituta esse metalla, declarat pri- mū densitas, grauitas, frigiditas & ceteræ ipsorum qualitates, quas aliunde profectas esse nec suspicari quidem licet. Deinde quod ca- lore liqueſcant & soluantur, liquata verò solo frigore ad solidita- tem & consistentiam suam pristinam redeant. Quid tactus ipse & locus ubi fiunt? an aliud quām frigus effectorem prædicant?

**45.** L A P I D E S quoq; frigoris efficientia productos esse æquæ cer- tum est. Seruantur enim frigore, calore vitiantur, & locus in quo fiunt est ſæpe frigidissimus. Nec fortassis verum est, omnia quæ fri- gore concreuerunt, igne diſſolui. Marmora non soluuntur & frigo- re cōcreuerunt. Nec quæ calor efficit, ſemper frigore ſolui queunt. Exemplum est in ſale & nitro, quæ humor & calor qui fecit, liquat, non frigus.

D E N I Q U E in pluribus constituendis, precipue lapidibus, principiis instrumeti locum etiam habet qualitas quædam occulta, à calore & frigore cæterisq; primis qualitatibus distincta. Declarant id effectus admirabiles, quos nos suprà thesi 40. diximus, & præterea Cardanus, Albertus, & alij commemorant. Hi enim effectus & similes, ex sententia omnium oriuntur ex complexione immediate, & tamen non possunt immediate reuocari ad qualitates primas; quandoquidem non habent eam similitudinem cum illis, quæ aliqui debet esse inter effectū & caussam, debet ergo in complexione cōtineri alia qualitas alioqui occulta, & nota tantum ex his effectibus. Hæc autem qualitas non potuit effici ab aliqua alia primarum propter rationem iam dictam, ergo producta est ab aliqua alia item occulta. Quocirca in pluribus lapidibus efficiendis necesse omnino est qualitas occulta, quæ sit tanquam instrumentum principale, quo agens principale lapides tales produxit.

E T hæc fortassis occulta qualitas, est virtus illa mineralis vel metallica, vt appellat Albertus & Auicenna, per quā mineralia efficiuntur. Ut ut sit, errauit tamen vterq; vt suprà quóque demonstratum est. Nam si hanc virtutem intellexerunt, idcirco errasse putandi sunt, quia hæc virtus occulta non est simpliciter principalis causa, sed tantum secundum quid. Quandoquidem ipsi reliqua instrumenta non simpliciter inseruiunt in mixta productione, sed tantum ea ratione, qua mixtum constitui debet, quod & quatenus tam raro effectus & singulares præstare possit. Sin autem nomine mineralis virtutis, aliam quandam ab occulta ista proprietate diversam intellexerunt, quæ metalla & lapides, vt præcisè talia sunt efficeret, iam suprà thesi 29. & 30. à nobis satis, errore ipsorum refutato, veritas demonstrata est.

## DE ORTVS ET GENERA-

### TIONIS LOCO.

H IC duo iam certa esse videntur. Alterum, in aere & nubibus 48. hæc interdum fieri: id enim suprà thesi 2. & 3. satis probatum est: Alterum quod sicut in terra, & potissimum in montibus. Nam in terra & montibus venæ & fibræ sunt non multo aliter quam in animalibus, in quibus ea gigni iam compertissimum est. In controvergia autem est, vtrum non sicut in locis pluribus.

E T hanc breuiter ita definire possumus. Metalla non sunt alibi naturaliter, præterquam in locis iam dictis. Quanquam enim in fluminibus multis aurum colligi ab Historicis proditum sit, & experientia multæ monstrauerint, in illis tamen gigni non est verisimile, quod venis & fibris careant, in quibus exhalatio & vapor con-

cludi possit. Itaque aurum quod in Tago, Pado, cæterisq; auriferis amnibus reperitur, ex montibus aut venis, quæ sub illis sunt, abradi perpetuo aquarum fluxu, credendum est. De aliis metallis, quod alibi quām in terra aut aëre nascantur, ab Historicis aut non est scriptum, aut si scribitur, non aliter de illorum natalibus, quām de auri ratiocinandū est.

**S 0.** L A P I D E S autem etiam in aliis locis pluribus fiunt. Nam fiunt in aquis, idq; dupliciter. Aliquando enim ipsæ aquæ lapidescunt, vt guttae fontis Gothici super terram sparsæ, & in Dacia Cepusij aqua in vrceos transfusa illico in lapidem durescit. Aliquando aquæ in lapides vertunt, quicquid illis iniicitur. Talis est aqua maris Danici iuxta Lubecensem urbem, in quam arbor illapsa cum nido & pullis auium, in lapidem duruit. Talis etiam est aqua fontis Gothici iam proximè dicti, in qua chirothecas in lapidem quandoque mutatas esse scriptum est. Multa quoque alia sunt *λιθογόνα θεάτρα* de quibus legendi sunt auctores varij.

**S 1.** S E D quæ est cauſa tām admirandæ transmutationis? Proprietas quædam occulta loci. Nam nec in frigus nec in calorem referri potest. Quandoquidem vbi maius aut par frigus est, nihil simile cernitur: eadem de calore ratio est. Deinde quia in certis locis virtus inest, per quam res inanimæ in animalia mutantur. Nam in mari Hebridico generantur ex foliis arborum anseres, quos Scotti Klakis sua lingua appellant. Quæ certè generatio nec calori adscribi potest, cùm illud mare maximè distet à via Solis; nec frigori, quia frigus communī omnium cōsensu nunquam est cauſa viventium, ergo virtus quædam occulta in illo mari est, qua producūtur. Quod si autem hīc virtus occulta conceditur, cur non etiam in aliis, vbi vel ex aqua fiunt lapides, vel aqua lapides generat ex aliis?

**S 2.** P R A E T E R hos sunt etiam lapides, qui in fluviorum aliarumq; aquarum alueis ripisq; reperiuntur. Et hos partim in aquis concrescere, partim in terra fieri & perpetuo aquarum fluxu, terra ablata & deterſa detectos ostendi, non est incredibile. Cæterū, quando in aqua fiunt yno ex duobus modis fieri cogitare possumus. Vno, quod primū gignantur arenæ, ex arenarum verò coagulatione lapides; quo modo Iulius Scaliger generari credit. Altero quod primū fiant lapides, ex lapidibus deinde fluctu & fluxu aquarum attritis arenæ. Quæ doctrina Philosophi esse videtur in 23. sectione problematum. Licet autem uterq; modus generationis cum probabilitate quadam defendi possit, fieri tamen priori modo est probabilius. Quoniam natura per gradus operari solet, & ab imperfetiōne ad perfectiōne gradum facere.

**S 3.** I N animalibus etiam generantur lapides, præter naturam ipsorum,

rum, ut illi, qui inter morbos censemuntur. Et non tantum in una parte corporis, sed in variis partibus fiunt, ut in ecore, pulmone, cerebro, vesica, intestinis, venis, &c. Quorum omnium efficientem caussam esse frigus cum quibusdam existimamus. Nam quanquam in locis calidioribus fiunt, tamen quia materia terrestris & viscosa insitum naturale frigus habet, calor ille non est caussa per se, sed tantum per accidens illorum lapidum, quatenus per antiperistasis auget frigus.

**A L I I** lapides in animalis corpore fiunt statis naturæ legibus. **54.**  
Sunt hi plerumq; pretiosi, nec fiunt in quoquis animali, sed certi in certis, ut Aleatoria in ventre galli, Borax in capite bufonis, Limac<sup>i</sup> in capite limacis, quæ cortice non tegitur, margarita in conchiliis rotundis & oblongis, quæ in imo mari moram ducunt. Generantur item in animalibus imperfectoribus, ut limace, piscibus, cancris & ferè εν τοις ζωοφύτοις. Si quis more aliorum frigore generari ex materia terrestri & viscida velit, non multum fortasse aberrabit. Nobiscum faciet, multoq; verius sentiet, qui lapides in huiusmodi animalibus occulto quodam naturæ instituto nasci dixerit.

**D E N I Q U E** sunt etiam lapides φυτειδεῖς. Talis est Corallus & **55.**  
Antipathes in eadem planta marina. Talis etiam est iuncus marinus apud mare rubrum, ut retulerunt ij, qui ex India missi ab Alexander Magno illud mare nauigauerūt. Horum autem omnium causam esse occultam quandam loci proprietatem, ex eo potissimum colligere licet, quod in mari nascantur, aut certè aliis in locis fiunt, in quibus propter admirabilitatem effectuū aliorum, virtutes quasdam inesse præ ceteris vix dubitare possumus.

## DE METALLO.

**M**E T A L L U M παρὰ τὸ μεταλλέρη deriuare multis placuit. **56.**  
Nec ineptè. Iam etenim in viscera terræ itum est, & in sede Manium insatio labore opes querimus. Quanquam autem hæc verbi origo sit, verbi tamen usus non est unus idemq; sed multiplex. Principiò igitur Græcis & Latinis metallum est, quicquid ex terra adhibito studio eruitur. Secundò vnū quoddam genus τῶροφυντῶν significat, nempe aurum, argentum, & alia aut fusilia aut dulilia. Tertiò fodinam ex qua vnū aliquod ex dictis foditur. Quartò deniq; venam ex qua excoquitur. Nos in hac disputatione Metallum non in prima significatione accipimus, sed in tribus posterioribus, maximè autem in secunda.

**F O D I N A E** sunt plerumq; in montibus. Argumento est Melibœus, Carpathus, Rodope, Tmolus, Suditi, Rhetici, aliis penè in-

innumeri. Habent enim nescio quid præ cæteris terris montes, vel quia propiores sideribus sunt, vnde omnis inferiorum virtus gubernatur, vt scripsit Aristoteles in primo Meteor, vel quia ob soliditatem quam habent, materiam ex qua metallæ fiunt, exhalare non patiuntur; vt proinde montes non temerè à natura facti videri debant, nec instar monstri in mundo locum occupare. Nihilominus tamen etiam planicies interdum suis fodinis non carent. Indicio sunt planicies & prata Pannoniæ, in quibus aurum nasci proditum memoriaz est.

**S 8.** VENAE ab animalibus ad montes & terram translatæ sunt. Vt enim in animali vena receptaculum & vas quoddam est, per quod sanguis ex hepate in totum corpus transmittitur: ita in montibus & terra cùm venas dicimus, receptacula quædam intelligimus & canales, qui complexu suo materiam fossilem continent. Hoc tantum discrimen est, quod apud Metallicos venæ vocabulum sèpius ea, quæ terra in canalibus continet, significare soleat, quam ipsos canales, cùm tamen in animalibus non sanguinæ, sed receptaculm ipsius significet. Præterea sicut venæ animalis fibras suas habent, quæ sunt quasi ramuli quidam multis modis cum venis ipsis commissi: ita etiam in montium venis fibras eundem fermè usum cum illis habentes, quodammodo cernere licet.

**S 9.** DETEGUNTVR autem venæ vel casu, vel arte & industria hominum: Rarius tamen fortuna quam arte. Casu patefunt cùm torrens, venti, fulmen, aut vis alia faxum vel terram in qua erat, sustulit. Inter artes quibus Metallici venas scrutantur & reperiunt, illam in postremis non habent. Virgula furcata de Corylo aut alia quapam arbore cæditur. Hæc vbi in manibus eius qui venam querit, versatur & voluitur, manifesto indicio venam prodere creditur. Et qui in venis inueniendis sibi usui virgulam aliquando fuisse experti sunt, illi hanc artem omni vitio carere existimant, & dignissimam ac ὀφελιμωτατορ, qua Metallici vtantur.

**S 60.** VERVM res non est ita. Nam virgula suapte natura & sponte nunquam in orbem voluitur; nec mouetur à virtute venarum, quia non mouetur omnibus, & quod mouet proprietate quadam occulta, non mouet in orbem id quod mouet, sed ad se trahit, vt manifestum est in magnete & aliis, in quibus occultam virtutem cōmuni consensu ponimus.

**S 61.** NVNC de metallis agendum est. Nascitur autem omne metallo in venis uno modo ex tribus: Aut enim purū, aut rude, aut mixtum. Purum est, quod dum in vena est, sui coloris est. Ita aurum lignitum, argentum, æs, plumbum & ferrum; sed rarius plumbum & ferrum: stannum autem purum nunquam repertum est.

**R V D E** metallum appello, quod suum colorem non habet nisi 62. opera fornacum ex lapide vel terra excoquatur. Sic omnia quidem nasci compertissimum est, sed tamen alia aliis frequentius. Mixtum denique metallum est, quod nascitur in vena eadem cum alio aut aliis: à quibus deinde cùm vena coquitur, separatur.

**M I S C E N T V R** autem metalla non solum à natura, id est com- 63. muniter, sed arte etiam & industria hominum: de quibus differere nostri instituti non est. Ex mixtionibus naturæ duas præcipuæ sunt. Altera quæ constat ex auro & argenti parte quinta. Altera quæ ex tribus plumbi nigri & duabus partibus argenti conflatur. Illam ele-  
trum nominare solent, quasi ex purissimis metallis ad singularem vsum hominum selecta sit. Nam ex eo crateres olim fiebant, quod venenum proderet. Trident enim & arcus, cœlestibus non dissimiles emittunt, cùm venenum excipiunt.

**F O R T A S I S** aliquis naturarum latens dissensus id efficit, qualis 64. etiam inter stannum, orichalcum & venena esse dicitur, quæ vel solo contactu veneni, vel nimia vicinitate pallent & mutantur: qualis etiam inter homines quosdam est & feles, inter leonem & gallum, aliasque res complures. Alteram mixturam etiam stannum quidam nominare solent. Verum iam utræque intercidit, & vel propter ignorantiam vel avaritiam hominum fossile esse desit.

**M E T A L L U M** est corpus fossile, durum, fusile, & malleo du- 65. stile. Quæ descriptio ex Aristotele, Galeno & Platone collecta est, & quicquid vñquam hoc nomine à doctioribus appellatum fuit, complectitur.

**F O S S I L E** est quicquid ex terra suffossa promiscuæ, arte aut in- 66. dustria potest, in quo metallis cum cæteris mineralibus adhuc conuenit. Nec metallum esse statim negabitur, quod ex terra non foditur. Sic enim ferrum quod supra ex rubibus decidere docuimus, metallum non fuit, aut si fuit, non fuit illic unde decidit, natum. V-  
trumque non ita verum est. Idcirco metallum fossile esse diximus, nō quod fodiat, sed quod fodi ex terra secundum se aut secundum aliquid ex sua specie aptum sit.

**D V R V M** est quod tangenti per superficiem in se non cedit. Mol. 67. le quod tangenti cedit in se & locum non mutat. Quod non æquè metallis omnibus competit. Quia non est æqualis vbiq[ue] primarum qualitatum admixtio, & siccii cum humido comprehensio, sed certa in certis. Neque inde metalli precium est sicut lapidum. Quo enim duriores sunt lapides, eo etiam sunt pretiosiores: inter metalla id in maiori precio est, non quod est durius, sed quod est ductilius.

**Q V A E** solida sunt & natura constant humida, calore fundi & li- 68. quari possunt, & magis minuscule, prout maior vel minor siccii cu-

humido facta est admixtio. Metalla autem omnia nec fluunt eodem calore nec eodem modo. Pleraque solo igne eodemq; vehementi liquefunt, plumbum etiam solis ardor, aut calor per motum vehementer excitatus, liqueare potest. Rursus ignis quædam facilior, quædam difficilior liquat: quin alia quoties velis igne fluunt, alia verò non semper, sed tantum cùm primum ex terra eruta sunt. Nullum tamen est quod liquefcere tandem non possit.

**69.** Vnde si verum est quod de orichalco, quod in Funduribus fodi, scribit Scaliger, & deferro quod ex nube decidere fertur, aut fundi absolute dicemus, licet adhuc artificium nondum sit compertum: aut si liquari nequeant, quod in ipsorum productione vis quædam occulta dominata sit, quæ faciat, ut à communi aliorum natura descuerint.

**70.** Ductilia sunt, inquit Philosophus 4. meteor. t. 47. quorum superficies uno eodemq; iactu in latum simul & profundum extenditur. Quæ affectio metallis inter fossilia maximè est propria, quod in ipsis humor dominetur, qui cum partibus terreis ita mixtus est, ut facile inter se disiungi nequeant.

**71.** Nec tamen æquè ducuntur omnia; quia non semper eadem est γλυπτής humorisq; puritas & optima cum partibus terrenis admixtio. Hinc aurum maximè inter metalla ducitur, minimè verò stannum & plumbum. Aurum enim tenuissimi & purissimi humoris maximè est particeps, & exactissimam habet mixtionem. Ex crassiore humore & eius imperfectione, cum siccitate temperatione stannum & plumbum ortum est. Cætera mediam quædam naturā fortita sunt, & prout magis vel minus ad puritatem & mixtionem auri accedunt vel recedunt, magis vel minus duci apta sunt.

**72.** METALLVM duplex est; naturale & factitium. Inter factitia numerantur chalybs, aurichalcum, & Cyprium, & quæcunq; vel omnino non fodiuntur, aut si fodiātur, tamen etiam arte fiunt. Naturale nulla arte constat, sed sola natura. Et aliud quidem dupliciti natura constat, ut electrum & alias mixturae, de quibus suprà locuti sumus. Aliud verò simplici natura constat, ut aurum, argētum, plumbum, & ferrum & stannum.

**73.** Qyae hucusque disputantur sunt, ad utrumq; genus pertinent, precipue tamen ad id de quo hic agimus, hoc est, ad natuum simplex. Nec enim quod artificium creat, propter tam multiplicem percoctionem & mixtionem duritiem, naturā fusilem aut ductilem, cæterasq; proprietates ita exactè retinere potest, ut natuum.

**74.** OMISSO artificiali, de metallo naturali adhuc duplex questione explicanda est. Prima utrum inter se specie different. Secunda utrum & quomodo inter metalla possit esse mutua permutatio.

DE METALLORVM DI-  
STINCTIONE.

**Q**UOD ad priorem quæstionem attinet, communis multorum **75.** opinio est, solum aurum inter metalla perfectam speciem habere, cætera omnia esse quasi quædam rudimenta & initia auri tantum, ac proinde inter metalla aliud discriminè non esse, quâm est inter perfectum & imperfectum in eadem specie.

**V**ARVM contra hanc opinionem ita agere possumus. Ferrum, **76.** non est mixtum imperfectum, quale est nix & cætera quaæ in râgue tewę fūnt; quis enim credat? Ergo est mixtum perfectum. Idem licebit dicere de auro, argento & ceteris. Iam, duo mixtionem perfectam habentia nunquam sunt eiusdem speciei, nisi forte inter se amplius non differant quâm solo numero. Sed ferrum & aurum sunt mixta perfecta, & plus differunt inter se quâm solo numero, ergo differunt specie.

**P**RAETERA vel est vñica metallorum substantia & qualitates **77.** tantum diuersæ: vel non est vñica substantia. Si est vñica substantia, tûm veræ erunt illæ; plumbum est aurum, & vice versa, aurum est plumbum. Tum quoque non erit difficultè ex plumbo aurum conficere, cùm non sit difficultè qualitates, quaæ à nulla peculiari forma cohibentur, à plumbō tollere, & quaæ auri sunt, introducere. Et tamen haec tenus nullus omnino repertus est, quem aurum omni ex parte probatum confecisse liquidò constet. Si vero substantia non est vñica sed plures, cùm non possint tantum numero esse diuersæ: quis enim crederet plumbum ab auro non plus abesse quâm hoc aurum ab illo? Discrimen erit saltem specificum.

**N**B QVE idcirco specie non differre dicendum est, quia ab iisdem causis producuntur, & easdem operationes, tantum secundum magis & minus differentes habent. Alioqui lapides & metalla ad vnam eandemque speciem pertinebunt. Item aëris, ignis & cetera elementa inter se specie minimè different. Nam idem est efficiens lapidum & metallorum, & operationes pleræque elementorum eisdem sunt, & tantum secundum magis & minus differunt: cuiusmodi sunt moueri, leue, graue esse, &c. Non igitur absolutè penes caussas & operationes, species rerum spectanda est, sed penes caussas & effectiones, vt cuiusque rei sunt propriæ. Hoc enim pacto, ex motu, leuitate & grauitate, &c. vt in aëre sunt & non in igne, rectè concluditur, aërem ab igne specie differre. Quippe cùm non ex accidenti aliquo, sed ex natura sua, hęc minorem perfectionem habeant in aëre, maiore vero in igne. Similiter se res habet in metallis, quod ad operationes quidem attinet,

**79.** *DENIQUE* natura neque vult, neque potest cætera metalla in aurum substantialiter mutare. Non vult: tūm quia nunquam id fecit, tūm quia propter certos & necessarios usus ac fines omnia ac singula produxit, quos ex substantiali immutatione omnino amitti necesse est. Non potest; quia nec calore nec frigore transmutatio illa fieri potest. Si enim calore: tantus in terris non est, qui p̄ficiem̄ congelationem soluat; aut si tantus est, necesse est aurum metallorum esse durissimum. Quanto enim magis metallum coquitur & funditur, tanto durius semper euadit. Idem consequetur, si frigore transmutationem moliatur.

**80.** *QUARE* igitur in venis omnia ferè permixta simul iacent? Quia omnium est eadem materia remota: ex qua propter complexionales dispositiones specie diuersas, agentia naturalia diuersas rerum species, etiam in eodem loco efformare queant. Hac enim de caussa lapides & alia mineralia ferè semper in venis metallicis reperiuntur simul, quæ tamen nemo idcirco nata tantum esse putat, ut in metallâ vel aurum tandem transeant. Certum igitur maneat metalla inter se distinguere specie.

## *DE MVTVA METALLORVM TRANSMVTATIONE.*

**81.** *A*LTERA quæstio erat, an & quomodo metalla inuicem permutari possint? Quæ quæstio, ut famosa est, ita etiam est maximè cōtrouersa. Cardanus putat ferrum in æs, argentum in aurum, reliquorum vero nullum in argento vel aurum substantialiter mutari vlo modo posse.

**82.** E'S T altera opinio quæ transmutationem substantialiem metallorum inter se non solum possibilē esse putat, sed iam de facto existimat artem haberi, qua metallum ex metallo, & præcipue aurum confici possit, quod omnes proprietates, affectiones, operationes & vires auri naturalis habeat. In qua opinione sunt omnes Alchimistæ, Albertus Magnus, & alij plures.

**83.** SVNT alij quamplurimi tūm grauitate tūm doctrina viri præstantissimi, qui metallorum transmutationem omnino tanquam impossibilem reiiciunt, artemq; illius faciendæ tanquam illicitam damnant. Existimant enim isti species rerum perfectiores non posse fieri nisi uno modo, hoc est, ab agente naturali, quod generationes huiusmodi rerum determinatæ sint, tam secundum actuum principium & materiam, quam secundum locum in quo fiant. Ex quo alterutrum consequi necesse est, videlicet aut nullam arte fieri, aut certè si vna sit, omnes possint, cum omnium videatur esse par ratio:

Atqui

Atqui cùm omnes arte constitui non posse certissimum sit, certò etiam sibi isti persuadent, nullam omnino ab arte confici posse.

V L T I M O non desunt qui aurum quidem vlla arte hactenus factum esse negent, sed tamen, quin absolute artificio fieri possit, nō infiantur. Atque hæ sunt sententiae, quas viri doctissimi & grauisimi de famosa illa, vt diximus, quæstione pronuntiauerunt. Quid ego hīc dicam? equidem vix habeo. Tamen dicendum est.

M E T A L L A secundū accidentia inter se permutari possunt. Hoc natura sāpe facit, & consensu omnium, arte fieri posse extra controuersiam est. Hoc enim pacto ferrum in æ mutari in Carpatho monte Pannonia nō obscurè Georgius Agricola indicat. Hoc modo ex ære orichalcum, ex ferro σόμωμα, hoc est, chalybem, mutato colore cæterisq; accidentibus tam ars quam natura faciunt, teste Aristotele 4. Meteor. c. 9.

N O N minùs extra controuersiam est, metallum à metallo separari posse. Cùm enim à natura inter se misceantur, quemadmodum ex suprà dictis intelligi potest, cur arte nō possint separari? Experiuntur hoc Metallici quotidie cùm venas coquunt.

C E R T V M etiam est, metalla in oleum, aquam, cineres, aut aliud quippiam simile, ad proximum tamē illorum genus non pertinens, cōuerti posse. Hoc enim est, quod experientia quotidiana nos docet, & ars distillatoria cū multiplici societatis humanæ commodo sāpe fecit & adhuc facit. Fit autem hoc ad eum ferè modum quo ignis ex Silice excutitur. Nam ignis ex silice fit, quia virtus ipsius in silice erat. Sed eodem modo aqua, oleum, &c. virtute in metallis erant. Cur ergo, cum agètia naturalia applicantur, non possunt ex metallis generari?

N I H I L O M I N V S tamen arte, nulla substantialis metallorū transmutatio fieri potest. An quia generatio est opus solius naturæ? An quia, quod natura non solet, ab arte fieri non potest? An quia nihil frustra sit in natura? Effet autem aliquid superuacaneum, si omne quod natura facit, arte etiam produci possit.

P R A E T E R E A metallum in metallo nec actu nec virtute continetur: quia inter simplicia metalla & specie differentia, alterum ex altero propriè mixtum non est, ergo metallum ex metallo non fit. Cur ita? Quia non quodlibet fit ex quolibet, vel à quolibet, vt etiam scribitur I. Phy. Sed certum fit ex certo & à certo. Tale autem est tantum, in quo alterum actu vel virtute est, ergo si metallum in metallo nec actu nec virtute est, ex metallo nunquam generabitur metallum.

N E C quod corruptitur, corrūpitur in perfectius, sed in id, quod est imperfectius. Patet hoc inductione facta per omnia ea, quorum

vnum non est via ad alterum, vt est nutrimentum adviens. Hoc enim pacto aſinus in vespas corrumpitur, iuuencus in apes, equus in scarabæos, viuens in cadauer. Quare etiam dato, quod arte metallum corrumpi possint, non sequeretur aliud, quam metallum nobilium in deterius corrumpi; no autem in aurum, quod est nobilissimum. Verum non est verum, metallum nobilium in deterius abire: quia non est actu vel virtute in illo. Ergo nullum metallum in aliud substantialiter transmutari potest.

91. *QVANQVM* autem nulla omnino arte, metallum substantialiter transmutari posse, satis abunde probatum fit, quod tamē aurum vel aliud metallum naturale & verum Alchimia non faciat, pecuniariter ita probari potest. Metallum naturale est, quod frigore constitutum est, vt ex superioribus patet: sed aurum, quod Alchimia facit, non est frigore constitutum: hanc dant nobis omnes Pyrotechni magistri: omnes enim solo calore & igne transmutationem metallorum inter se, facere profitentur. Ergo non est verum & naturale aurum, quod Alchimia conficit.

92. Ex quibus omnibus facilè colligi potest, quid ars Chimica aut alia quæcunq; , quæ verum aurum veraq; metallum fabricari nititur, momenti Rebus pub. & vita communui adferre posse. Neque enim præstat, neque præstare potest, quod promittit. Ex quo non semel factum, vt alij ad extremam inopiam redacti sint; alij sese Dæmonis seruituti, miserrime subiecerint. His quid grauius dici possit, haud equidem scio.

93. *CAETERVM*, licet ob hæc & similia incommoda prorsus inuitabilia, pernitosia censeripossit ac debeat, non est tamen Chimia, vel vt rectius dicam, Pyrotechnia prorsus reiicienda. Habet enim utilitates quasdam alias, nempe purgare, separare, ac inter sese variis modis miscere metalla & his similia, quæ vel ad usum, vel ad voluptatem pertinent. De quibus omnibus copiosius differit Cardanus in lib. de subtilitate rerum, & alij.

## *QVÆDAM DE METAL- LIS IN SPECIE.*

94. *AVRUM* ab aura nomen inuenit, hoc est, splendore & decore, quo cæteris anteit. Aura enim veteri verbo splendor est, vt vel ex illo liquet: Auri per ramos aura refulgit.
95. TRIA sunt auri privilegia, ignibus non absumi, tractantes nullo colore fœdere, & maximè esse ductile. Quæ ex perfectione & puritate mixtionis, qua aurum excellit, ipsi accesserunt. Eadem causa est, cur

**CUR AURUM VITIIS IIS CAREAT, QUIBUS CETERA METALLA MAXIME INFESTANTUR.**

**N I H I L O M I N U S** putrefactioni subiectum est, ut mixta cetera **96.** omnia: nec tamen putreficit omnibus citius, nec omnibus tardius. Vnde cum supra diximus, aurum ignibus non absumi, &c. id non absolutè, sed in ordine ad alia metalla accipiendum est.

**E S T** aurum auro perfectius. Quis hoc neget? Est hoc communis **97.** ne alii rerum generibus, adeò ut non improbatum sit, etiam homines substanciali perfectione inaequales esse.

**A R A B E S** & Latini aurum medicinis miscuerunt, sed parcus **98.** Arabes, liberalius Latini. Græci ferè abstinuerunt. Hinc orta celebris illa quæstio est, aurumne in medendo vires habeat nec nē?

**V I D E T Y R** autem verior esse illorum sententia, qui aurum **99.** per se in morborum curationibus virium nihil habere existimant. Nam si quid valet, id aut occulta virtute, aut aperta & nota operatur necesse est; sed non facit, quod facere creditur, occulta virtute: quia de effectu neccum inter omnes, aut plerisque constat, sicut constare debet, cum effectus in occultam caussam referri debet. Nec operatur vi aliqua manifesta, quippe cum aurum nec alterare corpus nostrum, vel alterari à calore animalis possit; Ergo aurum poculentum, aut esculentum aurum non est, aut vires in medendo nullas habet.

**Q V I D** de auro ex collo pensili lepram arcere creditur, & nescio quos alios morbos. **Nugæ.** Qui enim id faciat? **100.**

**N E C** illud locum hoc loco habet: nigrore pauorem & tristitiam induci. Quare posse etiam aurum splendore suo, cor & corpus ægri exhilarare. Nam nec tam verum est, quod de nigrore scripsit Galenus, quam quod Auerroes. Nec fortassis splendor aut tenebrae per se aliud oblectare, aut molestare queant, quam id, cuius obiecta sunt. Qui igitur cordi tristitiam, aut luctitiam afferant?

**Q V I N** tamen per accidentis aliquando aurum ægris prodesse **102.** possit, non est negandum. Evidem quid persuasio, animusque spei plenus in morbis sœpe efficiat, nemini potest esse ignotum.

**N A S C I T U R** aurum purum & rude, sed plus puri repertum est **103.** se quā rudit, argumento sunt tot auriferi amnes, Ganges, Pactolus, Hebrus, Tagus, & tot massæ in Hispaniis, & Pannoniis sœpe repertæ.

**A R G E N T U M** triplex est, purum, rude, viuum. Purum & rude **104.** metalla sunt, viuum metallum non est, sed metallorum Tyrannus: an quia cetera omnia' absunit?

**P V R V M** nasci veteres ignorârunt, hodiè nihil fermè est notius, **105.** cùm eius maxima copia in Germania & Bohemia, aliisque locis pluribus reperiatur. Rude vario colore, nascitur: omne tamen per excocionem album euadit. Quod rubri coloris est, interdum inter

- metalla ante coctionem solùm pellucet, an quia cum lapide pellucido concreuit?
- 106.** ARGENTVM viuum dicitur à Plinio & Latinis, quòd colore argentum æmuletur, motu animalia, præsertim cùm ignem senserit. Aristoteles ἔγγονον χυτὸν appellat, quòd naturam liquidam habebat. A Dioscor. ἔργον γυγόνον dicitur, quòd ferrè instar aquæ fluat.
- 107.** HOC natura sola facit. Ergo cùm Theophrastus ex minio fieri dixit, Vitruvius ex lapide anthrace, & Dioscorides ex Cinnabari, intelligendum est, ab ipsis rebus arte tátum separari, quale ante in ipsis erat. Et Galenus cùm sola arte fieri scripsit, aut nullum purum & sui coloris nasci voluit, aut omne per artem de novo generari. Quæcunque illius sententia fuerit, errore non caret. Etenim & veteres purum aliquando fieri non ignoravunt, & hodiè quoque reperiuntur.
- 108.** SCRIPSIT Aristoteles in 4. Meteor. aquam & aërem in argento viuo esse, plus autem aëris, tūm quòd igni in aërem soluatur, & crescere nec calore nec frigore soleat. Quæ doctrina non ita certa esse videtur. Nam etiam ipse Aristot. eod. in loco mixta omnia aut aquæ aut terrea esse scripsit; & argentum viuum grauiissimum esse, & maximum pondus habere constat. Præterea est frigidissimum, & maximè humidum; vtrumq; tactus ostendit. Vnde Mauri qui in Africa habitant, vt sese in maximis caloribus refrigerent, argento viuo in vase condito incubat. Has ob caussas de natura argenti viui inter Medicos & Philosophos disceptari cœptum est.
- 109.** BREVITER: Argentum viuum est aqua terrea cum multo aere non congelata, vt suprà quæque dictum est. Quanquam enim ex omnibus elementis, vt alia quædam, mixtum existat, in ipso tamen aquam dominari declarat humiditas & frigiditas ad sensum etiam maxima. Nec Aristot. absolutè aereum esse pronuntiauit, sed quod plus in ipso aëris sit, quam in aliis mixtis quibusdam: id quod satis erat, vt ostenderet, esse πνεύματος. Nec quod ab igne soluitur in vapores, idcirco aereum esse debet: quoniam aqua etiam soluitur, & tām argentum quam aqua ad suam pristinam naturam post dissolutionem redire solet. Graue autem est, vel quia compressa admidum ipsius substantia est, vel quia terra multa puraque, cum multa aqua optimè commixta est.
- 110.** QVOD æs Latini, hoc Græci χαλκὸν dicunt. Nascitur autem in venis propriis & argentariis, & rude sepius quam purum.
- 111.** COLORE est rubeo. An quia materia nimis exusta est? eadem causa est, cur rubiginem non ducat, & magis olim quam ferrum in pretio fuerit.
- 112.** GALENVS existimat sub dio & locis humidis plumbum, quoad molem

molem & pondus, atq[ue] gescere. Sed primum non est credibile; quan-  
doquidem in aliis metallis nihil simile obseruatur, quæ tamen, siue  
ab intrinseco, siue ab extrinseco plumbum augeatur, æquè possent  
dici crescere. Pondus autem plumbi augeri non est improbabile. E-  
tenim dum sub dio manet, calore, frigore, tempestatumq[ue] violen-  
tia, paulatim corrumpitur, & partibus leuioribus vt aereis, & igneis  
exhalatis, quæ terreæ & aqueæ sunt, ad propriam grauitatem se re-  
uocant.

**V E R I S S I M E** dixit Galenus, à plumbō humanū corpū re- **I I 3.**  
frigerari & humectari. Est enim, vt cætera metalla aqueæ substanciæ.  
Malè autem Auerroes exsiccare scriptis. Quanquam enim in  
plumbō terra sit, & plus quam in aliis quibusdam metallis, tamen  
cùm à calore nostro confici non possit, quas à terra habet, qualita-  
tibus agere non potest, cùm tamen interim dominans elementum  
vires suas exercere nihil impeditar.

**F E R R U M** tantum nascitur, & nulla arte est factitiū; nec specie **I I 4.**  
differt à chalybe, quandoquidem nihil est aliud, quam ferrum pur-  
gatum magis, coctumq[ue] ue. Fit enim chalybs ex ferro s[ecundu]s ignito,  
& rursus in aqua extincto, vt scriptis Aristotelis 4. meteor. cap. 6.

## DE LAPIDE.

**L A P I D E S** ex sicca exhalatione natura generat. Forma nec est **I I 5.**  
elementi prædominantis, nec est anima. Instrumenta, quibus fi-  
unt, est frigus, calor, & virtus occulta, sed magis præcipuum frigus.  
Hæc iam suprà à nobis ostensa sunt, non quidem de omnibus, sed  
de quibus hic præcipue sermo est, hoc est, de subterraneis.

**N A M** qui in aliis locis nascuntur, nec eandem semper materi- **I I 6.**  
am, nec eandem efficientem semper habent. Sæpè namq[ue] ex aquis,  
aut in aquis, ex rebus aliis, quæ iniiciuntur, h[ab]ent. Sæpè ligna putria  
& duræ tobora in lapides abiisse mirati sumus, &c.

**D E C R Y S T A L L O** & gemmis pellucidiis questio est, ex humo- **I I 7.**  
re ne potius, an ex sicco terra spiritu concreuerint? Plerique sub-  
stantiam illorum aqueam esse volunt, quod perspicuitatis tantæ,  
qua potissimum à cæteris distinguuntur, causa alia haberi nequeat,  
& Crysallus, vt nomen ipsum indicat, ante glacies fuerit.

**C A E T E R U M** hoc multis aliis displicet. Et rectè. Cùm enim hu- **I I 8.**  
iusmodi lapilli in terra soli non dignantur, sed semper cum alio la-  
pide, in quo latent arctissimæ inclusi, quemadmodum alij ex terrea  
substancia orti sunt, ita etiam istos pretiosos ex sicca exhalatione  
origi dubium esse vix potest. Accedit quod in ignem proiecti, tan-

dem in terram copiosam & cineres abeant, non secūs quā alia, quo-  
rum substantiam terream esse, nemo non dicit.

**I 19.** C V R ergo lapides pretiosi transluceant caussa non est, quidē  
tota ipsorum substantia sit aqua. Cur enim mergerentur in aquis?  
Cur non liqueficerent? Nec caussa est, quidē prædominio aquei  
sint. Sic enim nihil obstat, quidē minus ferrum, aurum, & cæ-  
ra metalla pelluerent. Sunt ergo pellucidi pretiosi lapides, quia  
humidi cum sicco purissimo & maximè subtili exactissima facta est  
mixtio.

**I 20.** NEC CRYSTALLVS vnquam glacies fuit. Cur enim aquæ  
non innataret? Cur in regionibus frigidissimis, ubi annis etiam  
maximi glaciantur, plurima non fieret? Cur igni non liqueficeret,  
sed in cinereis tota solueretur? Nec quidē rupibus interdum euel-  
litus argumento est, aliquando fuisse glaciem, sicut nec quidē in  
torrentibus defertur. Nam venæ ubi sunt sub terra, detegi multis  
modis possunt: quod cùm sit in locis, ubi humo nulla tegitur, Cry-  
stallum inueniri necesse est.

**I 21.** L A P I S nunquam igne liqueficit, nisi sit metallicus. Talis est py-  
rimachus, Alabandicus, & quos Plato & Theophrastus XVT&S ali-  
quando nominarunt.

**I 22.** C O N T I N G I T aut̄ aliquid liquari duobus modis. Altero à cali-  
do, altero ab humido. Prior modus auro, argento, ceterisq; metallis  
competit, posterior terræ: Vterq; autem simul sali Ammoniaco &  
paucis quibusdā aliis. Iam quando lapidem, quā talis est, non lique-  
fcere diximus, de vitroque modo intelleximus. Si namq; induc̄  
tionem faciamus, ex omnibus lapidibus, nullū omnino, vel ab humi-  
do, vel à calido liquefcere reperiemus, nisi cùm vel metallum vel  
vitrum, aut aliud quid simile admixtum fuerit.

**I 23.** C V I sententia nec obstat, quod scripsit Aristoteles 4. Mete. t. 37.  
nempe quā concreuerunt frigore, liquari calore. quia, vt ipse ibi-  
dem interpretatur, hæc propositio tantum de iis intelligi debet, que  
prædominio sunt terrea, cuiusmodi sunt lapides. Qua de cau-  
sa suprà nos quoq; propositionem illam absolutè veram esse, nega-  
uimus.

**I 24.** N E C obstat, quidē venæ lapidosæ simul cum metallis in fornacib-  
ibus excoquantur, & quidē fusores, lapides admiscere soleant, vt  
citiūs liquefcant metalla. Nam venæ per liquefactionem in metalla  
nō transeunt, sed quod in illis erat, metallum separatur. Nec idcir-  
co lapides metallis addūtur, vt ipsi simul etiam liquefiantur, sed vt fu-  
sionem metalli faciliorem reddant.

**S V M M A** lapidis commendatio in duritie est. Ut enim scribit **I 2 5.**  
 Cardanus, & nos supra diximus, quod lapis est durior, & præstantior. Cum vero durum ad siccum, sicut molle ad humidum, pertineat, ut scripsit alicubi Philosophus, cur lapis maximè durus sit, & quidem inter fossilia durissimus, vt Galenus auctor est, haud difficulter colligi potest. Nam cum lapis nec humore nec calore molliatur, aut liqueatur, terreus, & maximè siccus esse debet: cum autem inter fossilia nullum sit omnino, quod aut humore aut calore molle aut liquidum non euadat, nullum tam siccum est; nullum igitur in duritate lapidi comparandum.

Hic constitutis, lapis ita tandem definiendus est. Lapis est corpus fossile maximè durum, & quod nec humore nec igne liquefit. Vbi cum lapidem fossile corpus nominamus, non volumus omnem omnino lapidem talem esse (multi enim in terra non sunt) sed quod nos de illo hic potissimum disputemus, qui in terra natus aliquo modo in lucem proferri potest.

## *D E E F F E C T I B V S L A P I D U M .*

**E F F E C T V S** lapidum duum generum sunt. Alij sunt ordinarij, qui in omnibus lapidibus cernuntur, cuiusmodi sunt operationes frigoris & aliarum primarum qualitatum, item accidentia consequentia commixtionem primarum qualitatum, ut durities, gravitas, densitas, color, sapor, &c. de quibus Aristoteles 4. Meteor. tractat. Ac de his quodam complexione cuiuscum propria orientur, inter omnes iam conuenit.

**A L I I** sunt effectus extraordinarij, rari, & singulares, qui non in omnibus, sed in paucis tantum obseruantur. Cuiusmodi sunt fistere sanguinem, abigere fulmen, tutum reddere à peste & morbis, conciliare somnum, diuitias, auctoritatem, mouere somnum, præbere divinationem, augere ingenium & memoriam, præstare sapientiam, audaciam, castitatem, ignauiam, fascinare, rerum species immutare, & alijs quamplurimi, qui apud Cardanum, Albertum Magnum, Franciscum Rueum & alios passim leguntur.

**D E** his quæstio est; an veram caussam aliquam habeant, an vero nullam? Et si caussam habeant, quæ & quidnam illa sit? Si vero nullam habeant, cur lapidibus attribuantur? Scripserunt autem hacten auctores, prout cuique libitum fuit. Itaque alijs negarunt prorsus hæc à lapide effici. Contrà alii clarissimis experientiis conuidit:

quid

quid enim clarius est, quam à magnete ferrum trahi, à succino paleam? communī consensū caussam horū aliquam in lapide statuerunt. Quid autem illa sit, nondum consentiunt, cùm alij complexiōnē, alij formā substancialē, alij occultā quandam proprietatē à Deo, vel cœlis impressam, tanquam caussam prætendant.

**I 30.** N o s , vt breuiores simus, breuiter ita dicimus. Multa à multis falsō adscribuntur lapidibus, quæ nec habent, nec habere possunt. Huiusmodi ferē sunt, quæ ad diuinationem, fascinationem, vnius rei in alteram permutationē pertinēt, & omnes omnīnd effectus spirituales, aut qui alioqui vires caussarum naturalium nimium exceedere communiter iudicantur. Hæc siquidem nec ab omnibus, nec à plerisq; probatis & doctis viris lapidibus tribuuntur; nec etiam vi vila pura naturali effici posse videntur, vt potè quæ nullam cum lapidibus affinitatem habeat, qualis alioqui effectis, cum caussis quarum virtute produēta sunt, intercedere solet.

**I 31.** C A E T E R O R V M effectuum, qui communī iudicio lapidibus tribuuntur, ac tribui possunt, licet cum admiratione eueniant, causa non potest esse complexio, hoc est, certa & peculiaris 4. primariū qualitatū contemperatio ac proportio. Nam inter caussam & effectum debet esse aliqua similitudo & proportio, vt patet ex communī axiōmate, quo dicimus, in causā cōtinēti effectus perfectiōnem, sed inter complexiōnē huiusmodi & effectū nulla est affinitas, nulla proportio: quia isti effectus non continentur eodem genere, quo illi, qui ordinariē complexiōni debentur, cùm longē sint perfectiores, vel etiam contrarij; & complexio suis effectib; propriis, nequicquam iuuare videatur ad huiusmodi effectus. Quid enim ad consistentiam sanguinis, aut ad trahendum ferrum, faciat vel calefactio, vel frigefactio, aut grauitas, durities & cæteras? Ergo istorum caussa non est complexio.

**I 32.** C A V S S A igitur effectuum admirabilium est proprietas occulta. Censem̄t enim communī iudicio lapidum effectus, & tamen caussam apertam non habent, vt iam ostensum est, ergo habent occultam. Nobiscum faciunt etiam doctissimi & grauissimi auctores, qui etiam in multis rebus aliis virtutes quasdam occultas omnīnd necessarias esse statuerunt, licet inter se non conueniant, quid vis ista occulta lapidum sit.

**I 33.** P O S T R E M O , virtus occulta lapidum non est ipsa forma substantialis, nec est proprietas immediate formam consequens, sed est accidens quoddam lapidibus inditum ex diuino aut celorum influxu. Primum inde patet, quia virtutes remittuntur & intenduntur: item plures sunt in eodem & inter se diuersæ. Exemplum est in magnete,

magnete, qui ex una parte trahit, ex altera repellit ferrum: item, cuius virtus temporis progressu minuitur. Nihil autem simile in formas, aut proprietates formarū accommodari potest. Alterum etiam clarum est, quia iam suprà in lapidibus & metallis constituendis, interdum principis instrumenti locum obtinere virtutem occultam docuimus. Virtus igitur, quam impressit, erit accidens quoddam, quod immediatum sit principium huiusmodi effectuum.

## *DE FIGVRA LAPIDVM.*

**F**IGVR A lapidum duplex est, naturalis & artificialis. Naturales I 34. Omnes ad duo genera reuocari possunt. Alterum; quod semper in iisdem lapidibus reperitur. Alterum; quod non semper in iisdem reperitur, sed raro & fortuitò. Ad primum genus pertinent lapides, qui in Cuba Insula perfectè sphærici proueniunt. Item lapides *πεντάγωνοι*, *εξάγωνοι*, & qui Cylindri specie in monte Sipylo, auctore Plutarcho, nascuntur. Huc pertinent etiam gemmæ Ponticæ, quæ, auctore Plinio, cum stellarum imaginibus oriuntur. Item lapis Eiselbianus, qui piscium formas æneis squamis conspicuas præ se fert.

**S**E C V N D I generis exempla sunt in iis, in quibus vel serpentum, I 35. vel hominum, vel aliorū animalium & rerum imagines visuntur. Cuiusmodi est Onyx Coloniæ, in quo duorum iuuenum capita & serpens expressus est, & alij multi, de quibus Carda. Scaliger, &c.

**N**EC est difficile huius rei causam afferre. Nam quæ figuræ I 36. casu, raro, & non in certis, sed indifferéter in multis apparent, causam certam non habent, sed fortuitam, non aliter quam equi, naues, dracones in nubibus. Qui autem cum certis figuris nascuntur, non idcirco animam & vitam habent, quemadmodum Cardanus existimauit. Neque enim inanima, cum certa figura gigni, rarus est, ut in igne manifestum est. Habent ergo figuram talem vel à loco, vel ab efficiente, vel à materia.

**A**RS lapidem in varias figuras transformat, verùm inter omnes illæ præcipuae sunt, quas sigilla dicimus. Talis fuit imago in Pyrrhi Regis adamante admirabili artificio sculpta, quæ. 9. Musas vna cum Apolline cytharam pulsante, pictas referebat. Talis etiam imagines sunt, quas plerique diebus certis, & pro astrorum constitutione certa, in gemmas incidi curant.

**S**CVL PVNT autem gemmas, ex gemmisq; sigilla conficiunt I 38. potissimum Chaldaei, & Magi, quod putent per huiusmodi figuræ ab iis lapidibus, in quibus fuerint, admirabilia opera quædam effici posse. Cum Chaldais faciūt Alchymistæ, Conciliator, Franc. Rueus & plerique alij mala fidei aut vita homines,

**I 39.** PORRO cùm figura per se nulla vi agendi prædita sit , vt potè quæ à solo motu locali, Philosophorum sententia, producendi virtutem nullam habente, perficiatur, quæstio est, vnde imagines & sigilla vim efficacitatemq; tantam accipiant? Sunt autem, qui figuris huiusmodi, ex celo in lapides deduci admirabiles virtutes credat: ex quibus est Pomponatus, Conciliator, &c. Sunt alij, qui à Daemonibus talia fieri censem: inter quos est Thomas Erasmus. Quæ sententia, vt communior est, ita etiam magis ad verum accedit.

**I 40.** NAM ex celo virtutes huiusmodi in figuras deduci non possunt; quandoquidem cœlum cùm sit agens naturale, naturaliter, & in id tantum, quod naturale est, agit, sed figuræ Magicæ & Astrologicæ naturales non sunt: nec ars res , quæ natura sua inhabiles alioqui erant, habiles reddit, vt pati naturaliter possint. Qui ergo cœlum in illas actione sua virtutes tam admirabiles insinuet?

**I 41.** PRAETEREA lapides eandem naturam post imaginum cœlaturam retinent, quam habebant antea: non magis enim ars naturā immutare, quæ dare potest. Quare si lapides, cùm figuris illis carebant, vires cœlestes accipere non erant apti, quomodo apti efficiuntur per artem? Quæ namque naturam eandem habent, eodem semper modo mouentur à celo, quæ diuersam, diuersis tantum modis patiuntur, sed ars naturam lapidis non mutauit: sine enim magnes exempli gratia, insculptam figuram leonis, tauri, vel muscae habeat, sine non habeat, neque magis neque minus est magnes, quæ erat prius: ergo si lapides apti non erant, figuris desituti tantos influxus recipere, nec erunt apti post imaginis impressionem.

**I 42.** CVM ergo figuræ huiusmodi nec à se, nec à celo vim ullam habeant, qua effectus admirabiles produci possint, cùm lapides eiusmodi quid operari videmus, reliquū est, vt vel à DEO, vel à DAEMONE eiusmodi effectus produci existimemus, vel certè casu sequi. Nihil enim est aliud, in quod tanquam in caussam referri possint, & figura ipsa signum esse potest, quo caussa intellectu prædita ad agendum incitetur. Sed DEVS huiusmodi effectuū caussa censeri minimè debet, quippè cum figuris superstitionis & communi Ecclesiæ iudicio, hoc est, suo non approbat, minimè adducatur, vt quæ ad cultum atque honorem ipsius propriæ nec pertinent, nec referuntur, ipse operetur. Est ergo DAEMON qui per figuræ istas & imagines lapidibus insculptas tanquam per signa, quæ ipse nouit & instituit, effectus illos admirabiles operatur.

## PAVCA DE LAPIDIBVS IN SPECIE,

GEMMAM

**G**EMMAM Scaliger non putauit esse lapidem. Atqui cùm du-  
gra sit, & nec humore nec calore fluat, non est quòd lapidem es-  
se neges.

**Q**VANQVAM autem gemma ferè nulla sit, quæ vim admirabilis aliquam non habeat, maiores tamen gemmis vires, quām animalibus aut plantis inesse quis dixerit? Etenim anima nihil est præstantius, vt in i. de anima scripsit Philosophus.

**L**APIS nullus, nullaç gemma in distans vnquam agit, aut si agit, sine reali medij ipsius immutatione non agit. Est enim omnis actio per contactum, vt rectè alicubi scripsit Philosophus.

**S**MARAGDVS est lapis, & non terra medicata. Nec principia ipsius ab ære esse, rectè scripsit Scaliger.

**M**AGNES trahit ferrum. Ecquis hoc nescit? non trahit tamen omne, nec omnis. Nam parvus magnus, aut in magna distan-  
tia positum, non mouet. Est qui ferrum omnino abigat, aut qui ex una parte trahat, ex altera abigat. Siue autem trahat, siue abigat, id manifesta, hoc est, aliqua virtute elementari non facit. Quid enim qualitates primæ ad lationem faciant? Trahit ergò vi aliqua occulta.

**E**x quo iam satis intelligitur, ferrum ad magnetem naturaliter non moueri, tanquam ad locum suum. Nam si ferrum nimis magnum sit, aut nimis remotum, aut magnes ipse sit rubigine affectus, nullus omnino motus est. Quæ tamen, si per vim aliquam intrinsecam ad magnetem moueretur ferrum, eius motum impedire non possent.

**C**VM autem motus omnis in natura per contactum eius, quod mouet & mouetur, fiat, vt scripsit Philosophus 7. phy. quo modo magnes virtute sua ferrum contingat modis duobus explicare possumus. Altero; si dicamus, emitti ex magnete corpuscula quædam tenuia per aërem vsque ad ferrum. Altero; si dicamus qualitatem aliquam à magnetæ produci in medio & ferro, qua accepta ferrum non aliter, quām proiecta accepto à proiiciente impulsu, moueat ad magnetem. Ex quibus utrum probabilius dicatur, dici vix potest. Nam quòd emissione corpusculorum tenuium magnes ferrum trahat, signum est, quòd ferrum affrictum magnete trahat alterum, & quòd magnes tandem ita consumatur, vt amplius non trahat. Quòd autem qualitate in medio producta moueat, experientia docet. Viderimus enim quasi momento temporis, interiecto etiam ligno vel aliqua alia re solidissima inter ferrum & magnetem, statim trahi. Tam citò autem & per tale medium non potuerunt propagari corpuscula illa tenuia.

**R**ECTIVS fortasse quis dixerit ferrum non uno tantum modo trahi,

trahi, sed utroque simul. Emissione quidem corpusculorum, quotiescumque ferrum est in debita distantia, & medium est peruum. Productione autem qualitatis & quasi spiritualis virtutis in medio & ferro, quando haec non adsunt. Hoc enim & experientia & ratione magis consentaneum esse videtur.

- I 51. Sunt qui scribant, magnetem ad praesentiam adamantis, item ex uenatione olei aut succi separatum ferrum non trahere, quod experti id ipsum sepe sint. Alij non obscurioribus experientiis freti, putant hoc esse figmentum. Quos ita fortassis conciliaueris. Magnetum genera plura sunt. Alij his impediuntur, alijs minimè.
- I 52. QVARE in pixide nautica ferrum, quod magnete affixum est, ad polos conuertitur? An quia illic montes ferri & magnetis feraces sunt? An quia à stellis illis attrahitur, ut heliotropium à sole? An quia, ut res quæque à sibi simili, cœli vultu pendet, ita etiam magnes à polo?

*Ad maiorem DEI Opt. Max. gloriam.*



Erudita est, utilis, iucunda & typis, ut ab omnibus legatur haec de Metallo & Lapide disputatio, dignissima.

PETRVS STEVARTIVS, Leodius, facult. Theol.  
Ingolstadij pro tempore DECANVS, &c.

Idem ego sentio MICHAEL EISELIN, Societatis IESV, Philosophiæ Professor, & Collegij Philosophici pro tempore DECANVS.

PHILIPPI MENZELII D.  
ET PROFESSORIS IN SCHOLA  
INGOLSTADIANA MEDICI,  
CARMEN.

VRE equidem, meritoq; suo, pulcherrima Mundi  
Compages, atq; hoc non enarrabile textum,  
Nomen ab ornatu priscis inuenit Achius.  
Quid maiora sequens, inclusos orbibus orbes  
Aetherios, Superumq; loquar, Dominiq; Deorum  
Lucis inaccessa radius flagrantia tempa?  
Aut conuexa poli crystallina? quidue tot ignes  
Astrorum liquidos, vaga, fixaq; sydera caelo?  
Inferior moles, qua se grandia miscent  
Innumeris elementa modis: quanquam omnia letho  
Hic pateant, spectentq; suum mortalia funus:  
An non mirifico distinguitur illa decore?  
Alta petenti oculis, quot se miracula rerum  
Protinus obiiciunt: nubes per inane profundum  
Suspense: ha grauidæ nimbis, illæ igne trisulco:  
Nix, grando, glacies, spirantes saeva procelle,  
Ventorumq; cohors magno cum murmure surgens.  
Iam mibi, que numero non est comprehendere certo,  
Aspice secla, tribusq; animantium mille per orbem:  
Aerios tractus penna seu remige carpunt:  
Seu magnas obeunt terras: terræ latebris  
Conduntur: vitreisue larem posuere sub undis.  
Quis genus arboreum, frutices, virgultaq; & herbas,  
Innumeram sibolem, non admiretur. & ultrò  
Suspiciat, cultu tam versicolore nitentes?  
Nam neq; Dauidides, summorum gloria regum,  
Sede sedens patria, & solio sublimis eburno,  
Cunctas inter opes, gemmisq; auroq; coruscus,  
Tam picturato radians effulgit amictu.

*Ima sed & tellus, nascitum mater, & altrix,  
Et fatu functis eadem commune sepulchrum,  
Si cacos scrutere sinus, si viscera lustres  
Illiū, hanc oculos spectaclo pascet inani.*

*Nam tace fontes, & tot labentia subter  
Flumina, fumiferosq; ignes, quae Trinacris arsit  
Aetna, atq; Aetnae hodiè tonat Heclaruini.  
Prætero curvis conclusa anfractibus arctè  
Flabra; quibus si nulla viam vis pandit ad auras,  
Heu, quæ turrigeris tum strages urbibus instat?  
Hic rigidae cautes, magna illius ossa parentis:  
Multicolor gleba: & concreti copia succi:  
Hic ferri rigor, as Cyprium, nigrantis & albi  
Massa ferax plumbi: atq; argenti diuitis uber  
Illud, & auriflua, vulgi suspiria, vene.  
Adde reluentes stellato corpore gemmas,  
Interiora quibus terræ viridaria florent.*

*O studium SOPHIÆ felix, curasq; beatas,  
Quæ canit, & numerat; terras metitur & astra;  
Et rerum causas sollerti indagine lustrat,  
Interea custos virtutis, & aseclare recti,  
Docta creatorem rebus preferre creatis.*

*Macte animi, ANDREA; quò te rapit inclitus ardor  
Ingenij, SOPHIÆ pelago decurre patenti:  
In manibus iam terra: vocat tua Carbasa portus,  
Dum tibi perpetua neantur tempora Lauro.*

FINIS.

LEON-

LEONARDI ZINDECKERI  
PHILOSOPHIAE, AC V. I. DOCTORIS, ET  
IMPERIALIVM INSTITVT. IN ACADEMIA  
Ingolstadiensi Professoris publici, Carmen:

AD ORNATISSIMVM ET DO-  
CTISSIMVM DOMINVM ANDREAM  
de LVCIS NEAPOLITANVM, AVSTRIA-  
cum, Philosophiae Candidatum.



S T via certa, modus certus mortalibus agris,  
Quæ vasto celebres laudibus orbe facit.  
Est via, quæ miseros inter docet esse beatum  
Ætheris & magni quæ super astra vehit.

Hanc reperire viam, tacitos reperire meatus

Huius difficile est, Herculeusq; labor.  
Et nisi det Superum recto pede tangere Numen,  
O infælicis flebile fortis onus.

Sic errans Hecale tibi sorte miserrima cedit,

Iraq; fortunis est minor ille tuis.

Ille hebes, insulsus, risu dignissimus orbis,  
Truditur ad Stygias ille Acherontis aquas.

Sed quam dico viam? generis non lumina, prisca  
Non multas galeas, arma superba, domus.

Non miseras Plutonis opes, non dulcia forma  
Dona, triumphantis sceptra nec imperij.

Sola facit Virtus, Pallas sola esse beatum,

Sola immortalis munera laudis habet.

Vna fida Comes rigidis hac enatat vndis,

Hanc nescit tepidi perdere flamma rogi.

Hac sine, quid niueo generis splendore triumphans?

Regali statua est mortua ueste nitens.

Quid decus argenti iactans auriq; nitorem?

Horrenda mentis squaler hydrope miser.

Corpore quid vegeto, culta facieq; superbus?

Vmbræ leuis, punctum, bullæ fluentis aquæ.

Quid regni fasces, quid sceptrum? gloria vana,

Bella cruenta, lues, tristis & interitus.

1836994

Catera quid, tumidus qua maxima somniat orbis?  
Egregia species vanaq; formarei.  
Hoc tu de LVCHIS, pulchrae ceu lucis amator  
Linceus aut oculis, voluere mente soles.  
Namq; abstrusarum præclarar scientia rerum  
Te iuuat, hanc velut Numina summa colis.  
Præse consilio docet hac te spernere sano,  
Hic vanus quicquid mundus inane fouet.  
Quid tantos firma spreuisti mente labores?  
Te magne SOPHIAE pulcher adegit amor.  
Pulcher adegit amor, superares fortis arenas  
Ut duras LIBYAE, Caucasasq; niues.  
Inuicto SOPHIAE studio suauissima Tempe  
Lustrasti, admirans facta stupenda Deæ.  
Somnia num fingo? clarum facis omnibus istud,  
Pro Masis hodie dum capis arma palam.  
Sunt lapides duri, lapidum tu miles in armis  
Es durus, SOPHIAE dum fera bella cies.  
Certas HAGELIO dace, quo præstantior alter  
Non SOPHIA, & linguis, & probitate viro,  
Certas doctrina præstans ingentibus armis,  
Corpore non validus, fortis at ingenio.  
Nec sine messe labor, paruo post tempore laurus  
Nam cinget viridis tempora bina tibi.  
Hac tibi DIVA potens artis penetralia pandet  
(Id tua mens agitat) docta Machaonie.  
Hac dabit ingenti magnum te laude, paternis  
Et Laribus gratum, principibusq; viris:  
Hanc sequere, hanc semper tibi proderit esse secutum;  
Fallere nam nescit, sed bene firmat iter.  
Hic modus est, sola hec via, qua docet esse beatum,  
Aegros mortales & super astra yehit.

LAVS DEO ET BEATISSIMÆ VIRGINI  
MARIAE, Dominæ nostræ.

OCN 67956952